

CONTRA PLVT. CRIMIN.

Quàm autem difficile hoc sit in fœmina consequi, ipsemet satis in fabulæ actione declarat. Vbi verò Aristophanes oratori vim dicendi adimit? an, cùm Niciam & Demosthenem seruos facit Cleonis, & quidem iniuste ab eo tractatos, & mussitantes? At hoc ipsum Scenæ Aristophanis inseruiebat, vt ostenderet oratoribus & prudentibus in Re-
pub. viris dicendi vim, tyrannide Cleonis, non autem Comœdia sua, interclusam at-
que præreptam esse. Alias cuicumque dicendi partes in fabula tribuit, eum oratoriæ &
artificiosissimè dicentem facit. Quod exemplis mihi demonstrare in procliui esset, si
prolixitatem istam lectori non ingratham fore iudicarem. Præterea in mercatore & ne-
gotioso homine requirit Plutarchus, vt ei affingatur insolentia & arrogantia sermonis:
plebeio autem attribuatur humilis oratio. Hoc quidem verum est: sed tantùm pro re
nata verum. Cur enim Megarensis mercator, aut Bœotius arroganter & superbè lo-
quatur, qui miserima fortuna premitur? Quid? an mercator, cui omnibus Athe-
nensium Emporijs, & portibus interdictum, in scena Attica sese magnificè & super-
bè ostendet, vbi secum periculo capitis versari intelligit? Omitto alia, quæ pro Aristo-
phane, contra Plutarchi criminationes, fortasse non impertinenter afferri in medium
possent. Vnum tamen silentio haudquaquam prætereundum iudico, quod Aristopha-
nem ab hac calumnia vel solum vindicat. Nam in oratione decora, & cuique perso-
næ apta, adeò sollicitus & curiosus fuit, vt cùm barbaros in Comœdia homines intro-
duceret, ceu satrapas Persicos, Tribalios, & Scythas: Atticæ linguæ nitorem, quo in-
primis pollere diximus Aristophanem, illis attribuere nefas duxerit. Quare illos aut pa-
trio sermone loquentes, aut Græcorum sermonem corrumpentes, & barbarè pronun-
ciantes introducit: sicut hoc videre est in Acharnensibus, Vespis, Auibus, Thesmopho-
riazusis, & alijs in locis. Venio ad quartam reprehensionem, in qua finem Comœdiæ
ab Aristophane fuisse impetratum negat, cùm neque plebis imperitæ, neque virorum
prudentum applausu, sint comprobata. Nebulas æliano, aliisque doctis displicere non
miror: sed propter aliam causam displicere scio, non eam quæ à Plutarcho affertur. Nã
& verba, & phrasis, & artificium in ea probati debet ac potest: argumentum probari à
nemine potest: cùm nemo prudens sit, qui Aristophanem in eo modum vindictæ ex-
cessisse neget: quòd cùm à Socrate contemptus esset, & Euripidi posthabitus: fictis cri-
minibus innocentem Socratem in odium populi Atheniensis perducere voluit: impul-
su præferim Anyti & Meliti adductus. Nolim tamen ipsum propterea ab æliano, & a-
lijs Socratici nominis admiratoribus, prorsus abijci, & tanquam sceleratum, ac nul-
lius precij poetam è scholis Græciæ exterminari. Potuit in hoc malè fecisse Aristo-
phanes: at in Cleone, Brasida, Lamacho, Pericle, & alijs reprehendis potuit benè fe-
cisse. Quantum verò fauoris & applausus à plebe reportarit, ei rei corona oleagina;
qua donatus fuit, argumento est: vt interim de præclara nominis fama, quam poematis
suis emeruit, nihil dicam. Quanti etiam hunc poetam ipse Plato, Aristoteles, Cicerò,
Horatius, & illius imitator Plaurus fecerit, ex suprâ dictis est euident. Cur igitur vni
Plutarcho maiorem habeamus fidem, quàm multis alijs longè doctioribus? Quinta oc-
currit reprehensio, quòd sales Aristophanij plus mordeant quàm Menandri; cùm sint
acerbiores & aciores. Equidem non inficior, rem ita esse, vt ille dicit. Sed ita ferebat
Comœdiæ veteris consuetudo, vt (quemadmodum suprâ est dictum) omnia argumen-
ta essent falsa, festiua, mordacia, maledica, nec quicquam diceretur à quoquam, quòd
non ad perniciem alicuius accommodaretur. Primus autem Aristophanes in vltimis
Comœdijs hanc cauillandi profusam libertatem, & oris amaritiam, Cocalo scripto, e-
mendauit, & nouæ Comœdiæ viam Menandro aperuit. Quare non tam Aristophanis
dicacitati, quàm temporum illorum consuetudini adscribendum est, quòd Plutarchus
in ipso reprehendit. Quid, quòd sales ijdem omnibus non placent? Nam quæ Philoso-
phis iucunda & faceta, atque vrbana videntur, ea plebeijs superciliosa & nasuta sunt,
& plerunque pro specie contemptus arripiuntur. Quæ plebi grata & iocularia sunt, ea
doctis viris, & ad grauitatem compositis, scurrilia videntur. Quare, vt ipsemet Plutar-
chus fatetur, difficillimum est, vtriusque fauorem consequi, aut vtrique se accommo-
dare. Restat vltima cauillatio, quâ vituperat Plutarchus Aristophanem, quòd callidos
fecerit malitiosos, rusticos fatuos, iocos scurriles, qui non risum, sed irrisionem mereantur:
denique amatores impudicos. Ad hanc cauillationem respõdeo pro Aristophane;
quòd in hominum vita & animis duplex est calliditas: vna ciuilis & recta, quæ pruden-